

CAPITULUM 13

DE CONVENIENTIA ET DIFFERENTIA PRAEDICABILIIUM IN COMMUNI

§1

Commune quidem est... 13,10-13 . Iste est secundus tractatus libri Praedicabilium, in quo Porphyrius determinat de quinque universalibus coniunctim ea invicem comparando penes convenientiam et differentiam, postquam de ipsis determinavit divisim, unicuique suam de finitionem assignans.

Dividitur ergo tractatus iste in quattuor capitula. In quorum primo Porphyrius manifestat convenientiam et differentiam omnium praedicabilium in communi; in secundo comparat genus et alia praedicabilia penes convenientiam et differentiam, ibi: ¹ commune autem est generi; in tertio vero comparat differentiam ad alia tria praedicabilia, ibi: ² commune vero differentiae; in quarto comparat invicem speciem, proprium et accidens, ibi: ³ speciei quidem et proprii.

In primo capitulo Porphyrius intendit tres conclusiones. Quarum prima est haec: universale de omnibus quinque praedicabilibus univoce dicitur; secunda conclusio: non omnia praedicabilia sunt in praedicando aequalia, ibi: ⁴ namque animal; tertia conclusio: non omnia praedicabilia de suis subiectis aequaliter praedicantur, ibi: ⁵ proprium autem.

Prima conclusio arguitur sic: illud univoce dicitur de multis quod praedicatur de illis secundum unam et eandem rationem eis communem; sed universale dicitur de omnibus quinque praedicabilibus secundum unam et eandem rationem eis communem; igitur universale de omnibus quinque praedicabilibus univoce dicitur. Tenet consequentia cum maiori per definitionem univoci datam a Philosopho in Antepaedimentis; ⁶ et minor declaratur, ex eo quia quodlibet praedicabile per hoc est universale , quia de pluribus praedicatur. Haec enim passio, quae est de pluribus praedicari, est communis omnibus praedicabilibus, ut in

ductive patet. Genus quidem de speciebus et de individuis illarum species praedicatur; differentia etiam de pluribus praedicatur, videlicet de speciebus et suis individuis; species iterum de pluribus praedicatur, videlicet de omnibus suis individuis; proprium vero, quia non solum de sua specie praedicatur, sed etiam de individuis illius speciei, propterea de pluribus dicitur praedicari; accidens autem de pluribus speciebus praedicatur, et de omnibus individuis illarum —ut superius in tractatu primo est ostensum.

Lege litteram: commune quidem est omnibus praedicabilibus de pluribus praedicari. Sed genus quidem de speciebus et individuis, et differentia similiter; species quidem de his quae sub ipsa sunt individuis; at vero proprium et de specie cuius est proprium et de his quae sub ipsa sunt individuis; accidens vero et de speciebus et de individuis.

§2

De quadruplici consideratione praedicabilium

Notandum quod omnia universalis seu praedicabilia possunt quadrupliciter considerari. Primo ut sunt entia seu partes entis; et sic non sunt universalis neque particularis, non subiciuntur neque praedicantur, sed sunt naturae simplices absolutae ab omni respectu actuali, potenciali et aptitudinali. Equitas enim est tantum equitas —inquit Avicenna in sua Metaphysica.⁷ Si enim equitas de sui natura est universalis, et ipsa secundum quod huiusmodi est abstracta ab omni particulari, igitur universale secundum quod huiusmodi non esset unum in multis et de multis —contra Philosophum I Posteriorum.⁸ Si autem equitas secundum quod huiusmodi esset quid singulare, igitur non esset communicabilis in concreto pluribus per praedicationem —quod est impossibile.

Secundo possunt considerari universalis ut habent rationem effectus; et sic fluunt ab intellectu primae causae, sicut splendor a lumine et

lumen a corpore luminoso. Et secundum hoc ipsa universalia habent ra
tionem intelligibilis, in quantum possunt movere intellectum et ter-
 minare actionem eius.

Tertio possunt considerari ut habent rationem causae in essendo;
 et sic dicuntur universalia in quantum sunt apta nata esse in multis.
 Quodlibet enim superius est in suo inferiori et est forma eius, per
 Philosophum, II Physicorum⁹ et V Metaphysicae.¹⁰

Quarto possunt considerari ut habent rationem causae in cognoscen-
 do; et sic dicuntur praedicabilia, in quantum sunt apta nata praedica-
 ri de multis. Praedicari enim de aliquo est notificare illud. Ideo
 praedicabilia dicuntur esse notificationes suorum subiectorum.

Ex quibus sequitur quod in qualibet natura praedicabilium inveniu-
 tur sex respectus, tres videlicet aptitudinales et tres actuales. Pri-
 mus respectus aptitudinalis est aptitudo movendi intellectum, cuius
 respectus actualis est motio intellectus. Secundum respectus aptitudi-
 nalis est aptitudo essendi in multis, cuius respectus actualis est
 unio universalis cum suo particulari. Tertius respectus aptitudinalis
 est aptitudo praedicandi de multis, cuius respectus actualis est prae-
 dicari de multis.

Primus et tertius respectus aptitudinales respiciunt intellectum,
 sed non dependent ab aliqua operatione intellectus; respectus autem
 actuales istorum respiciunt intellectum et a sua operatione dependent.
 Secundus autem respectus, sive sit aptitudinalis sive actualis, neque
 dependet ab intellectu operante neque ipsum aliquo modo respicit; na-
 tura enim generica vel specifica est apta nata esse in multis et est
 actualiter in multis secluso omni intellectu. Dicentes ergo naturam
 illam esse genus vel speciem omni intellectu remoto, sunt reales; di-
 centes vero naturam illam non esse genus vel speciem, nisi ex opere
 intellectus, vocantur nominales -ut inquit hic Albertus.¹¹

Dubitatur: aptitudo ridendi vel mugiendi non est respectus, sed

qualitas de secunda specie, ergo nec aptitudo essendi in multis aut praedicandi de multis est respectus; sed potius qualitas.

Respondetur negando consequentiam, quia risibile et mugibile non referuntur ad alia, universale autem et particulare invicem opponuntur relative, sicut etiam intellectus et intelligibile, visus et visibile. Unde, sicut visibilitas quae est in colore est relatio, ita et universalitas quae est in natura. Sicut ergo aptitudo videndi est quaedam relatio fluens a natura coloris, ita aptitudo intelligendi et aptitudo essendi in multis et aptitudo praedicandi de multis sunt quaedam relationes fluentes a natura universalis qualiscumque fuerit.

§3

Namque animal... 13,3-17 . Secunda conclusio: non omnia praedicabilia sunt in praedicando aequalia. Probatur: illa sunt aequalia quorum nullum alterum excedit; sed praedicabilia in praedicando se invicem excedunt; igitur etc. Tenet consequentia cum maiori, et minor declaratur in praedicabilibus quae essentialiter praedicantur, cuiusmodi sunt genus, differentia et species; nam de pluribus praedicatur genus quam differentia, et differentia quam species. Nam animal praedicatur de homine, et de equo, et bove, et cane, quae sunt species; iterum praedicatur de isto homine, et de illo equo, et de illo bove, quae sunt individua illarum specierum. Differentia vero, scilicet irrationale, non praedicatur de homine neque de aliquo suo individuo, sed de omnibus aliis speciebus et individuis praedicatur de quibus praedicatur animal -ex quo enim differentia dividit genus, impossibile est quod de tot praedicetur de quibus praedicatur genus. Species autem de paucioribus praedicatur quam genus vel differentia, quia species in eo quod species tantummodo de individuis praedicatur; sicut homo, qui non praedicatur nisi de particularibus hominibus.

Lege litteram: namque animal de equis et bobus et canibus praedica-

tur, quae sunt species, et de hoc equo et de hoc bove, quae sunt individua; irrationale vero et de equis et bobus et de his qui sunt particulares praedicatur; species autem, ut homo, solum de his qui sunt particulares homines praedicatur.

§4

Notandum quod ista inaequalitas praedicandi provenit ex eo quia omne praedicabile praedicatur de individuis. Si enim ea quae praedicantur de speciebus non praedicarentur de individuis, de pluribus praedicaretur species quam genus aut differentia; sed quia omne quod praedicatur de specie praedicatur de quolibet individuo illius speciei, propterea de pluribus praedicatur genus quam differentia, et differentia quam species.

Ex quibus sequitur quod praeter communitatem omnium praedicabilium, quae est de pluribus praedicari, est et alia communitas ab illa dependens, videlicet de pluribus individuis praedicari. Cuilibet enim praedicabili convenit de pluribus individuis praedicari. Haec autem propositio 'quaecumque praedicantur de praedicato praedicantur de subiecto', licet vera sit et necessaria, non tamen importat communitatem omnium praedicabilium a prima communitate causata, ut dicit Albertus¹² ex doctrina Avicennae et Algazelis, quia non competit speciei specialissimae, ex quo species specialissima de nullo praedicato praedicatur, sed tantum de subiecto, quod est individuum. Conceditur tamen quod si aliquid praedicatur de specie vel de individuo, omne quod praedicatur de illo praedicato etiam praedicatur de illo subiecto, iuxta illud Aristotelis in Antepredicamentis:¹³ "quandocumque alterum de altero praedicatur, quaecumque de eo quod praedicatur dicuntur, omnia et de subiecto dicuntur"; nam quia de homine praedicatur animal et de animali praedicatur vivum, corpus et substantia, ideo sicut omnis homo est animal, ita omnis homo est vivus, et corpus et substantia. Consimiliter dicatur

de differentia quod homo est rationalis, et quia rationale est sensitivum, animatum et corporeum, ideo homo est sensitivus, animatus et corporeus. De proprio etiam idem contingit, ut si homo est risibilis, et risibile est admirativum aut rerum investigativum, necesse est universaliter quod homo sit admirativus et rerum causarum investigativus. De accidente vero sic exemplificatur ut, si homo est albus, et omne album est coloratum et disgregativum visus, oportet quod homo sit albus et disgregativus visus.

Sed dubitatur, quia Sortes est homo, et homo est species, et tamen Sortes non est species; homo est animal, et animal est genus, et tamen homo non est genus.

Item, homo est rationalis et risibilis, rationale est differentia et risibile proprium, et tamen homo non est differentia neque proprium.

Dicendum quod illa regula intelligitur in praedicatione distributiva. Unde non sequitur 'Sortes est homo; et homo est albus; ergo Sortes est albus', 'homo est animal; et animal est hinnibile; ergo homo est hinnibilis', sed bene sequitur com tali medio 'omnis homo est albus' et 'omne animal est hinnibile'. Ita etiam bene sequitur 'Sortes est homo; et omnis homo est species; ergo Sortes est species', 'homo est animal; et omne animal est genus; ergo homo est genus'. Iterum sequitur 'homo est rationalis et risibilis; omne rationale est differentia et omne risibile est proprium; ergo homo est differentia et proprium'. Sed universali assumpta semper est falsa.

Et se quaeritur utrum istae intentiones secundae, species, genus, differentia, proprium et accidens, praedicentur de intentionibus primis sicut proprium aut sicut accidens, respondetur quod sicut bipes praedicatur de homine partim ut proprium et partim ut accidens, ita intentiones secundae de intentionibus primis. Homo enim per se est bipes, et sic bipes praedicatur de homine tanquam proprium; et quoniam bipes non per se est homo, quia in eo invenitur quod non est homo, ideo,

quia accidit bipedi esse hominem, praedicatur de eo tamquam accidens. Quia enim homo determinat sibi aptitudinem ad duos pedes, bipes autem non determinat sibi hominem, necesse est quod bipes se habeat respectu hominis tamquam proprium et tamquam accidens. Sic in proposito est dicendum: Quia homo per se est species, e contra autem species per accidens est homo, necesse est quod species praedicetur de homine aliquo modo tamquam proprium et aliquo modo tamquam accidens. Consimiliter dicatur de illis 'animal est genus', 'rationale est differentia', 'risibile est proprium', 'album est accidens'.

§5

Proprium autem ... 13,17-21 . Tertia conclusio: non omnia praedicabilia de suis subiectis aequaliter praedicantur. Ista conclusio declaratur: nam proprium et accidens, sive fuerit separabile sive inseparabile, conveniunt in universaliter praedicari de omnibus suis subiectis. Risibile quidem universaliter praedicatur de homine in communi et de omnibus particularibus hominibus, ita nigrum, quod est accidens inseparabile a corvo, praedicatur de specie corvorum et de omnibus particularibus corvis; moveri autem, quod est accidens separabile, praedicatur de homine et de equo et de individuis istorum. Sed in modo praedicandi differunt, quia proprium primo de specie praedicatur, ex consequenti vero de individuo; e contra autem accidens, sive fuerit separabile sive inseparabile, primo de individuis praedicatur, secundo vero de specie. Unde, quia risibile competit homini secundum quod huiusmodi, Sorti autem secundum quod homo, necesse est quod prius de homine quam de Sorte praedicetur. Et quia album fluit a principiis individui et non a principiis speciei, sicut etiam nigrum et moveri, oportet quod haec omnia prius conveniant individuis, deinde speciebus.

Lege litteram: proprium autem quod est risibile de homine et de his qui particulares sunt, nigrum autem et de specie corvorum et de his qui

sunt particulares corvi praedicatur, quod est accidens inseparabile, et moveri de homine et equo, quod accidens est separabile, sed principaliter quidem de individuis accidens praedicatur, secundo vero loco de his quae continent individua, scilicet de generibus et speciebus.

§6

De primo

Notandum, secundum Philosophum I Posteriorum,¹⁴ quod primum est illud quod inest alteri per ipsum et ipsi non per alterum; sicut habere tres angulos aequales duobus rectis competit primo triangulo, quia competit illi non per aliud subiectum, figurae autem et isosceli competit per triangulum. Ideo enim isosceles habet tres angulos aequales duobus rectis ac etiam figura, quia tam isosceles quam figura est triangulus. Quia ergo proprium competit speciei secundum quod huiusmodi, competit autem generi et individuo per aliud, ideo primo competit speciei, secundo autem competit generi vel individuo. Accidens autem, quia non fluit a principiis speciei neque emanat a genere, sed sola differentia, propterea accidens primo competit individuis, et ex consequenti generibus et speciebus. Sortes enim est risibilis quia homo est risibilis, non autem est albus quia homo est albus; sed e contra homo est albus quia Sortes est albus.

§7

Duo argumenta contra praedicta, cum suis responsionibus

Contra praedicta arguitur. Et primo quod proprium non primo competit speciei. Quoniam actiones sunt suppositorum, ut habetur I De anima;¹⁵ omnes etiam actiones et generationes sunt singularium et non universalium, nisi per accidens, ut probatur in prooemio Metaphysicae;¹⁶ et I De generatione¹⁷ dicitur quod homo non generat nec generatur, sed Sortes aut Plato; igitur homo in communi non est aptus natus ridere ni

si per accidens, Sortes autem vel Plato est aptus natus ridere per se; et per consequens risibile competit primo individuo et non speciei.

Item, subiectum huius propositionis 'omnis homo est per se risibilis' supponit pro aliquo primo; aut ergo supponit primo pro homine communi, aut pro homine particulari. Non quidem pro homine communi primo, quia tunc homo communis esset per se risibilis -quod est falsum. Ergo supponit primo pro homine particulari; et per consequens esse per se risibile competit primo homini particulari.

Secundo arguitur quod accidens non competit primo individuis, quia omne quod superabundantiam dicitur uni soli convenit, ut habetur in Topicis;¹⁸ ergo non est possibile quod accidens primo competat individuis. Non etiam primo competit individuo, quia si album primo competet Sorti, ergo Sorte non existente nullus homo esset albus. Patet consequentia, quia primum est illud quod alteri competit per ipsum et ipsi non per alterum. Praeterea

Praeterea, omne quod competit alicui primo, competit ei per se, ut probatur I Posteriorum;¹⁹ sed album non competit Sorti per se; igitur non competit ei primo. Minor patet, quia non apparet in quo modo dicendi per se.

Ad primum dicitur negando primam consequentiam. Licet enim homo communis, qui est natura humana, non sit aptus natus ridere per se, tamen homo in communi, id est: homo simpliciter sumptus et secundum quod homo, est aptus natus ridere. Unde, homo communis, proprie loquendo secundum considerationem logicam, non est species, sed homo, quia ad quaestionem quaerentem 'quid est hoc', numquam respondetur 'homo communis', sed 'homo'. Risibile ergo non competit primo homini particulari, neque primo homini communi, sed non competit primo homini, in quantum competit homini secundum quod homo et, si alicui competit, competit ei secundum quod homo. Propterea dicitur quod competit primo homini in communi, id est: non illi aut isti, sed homini absolute

sumpto et secundum quod huiusmodi.

Cum autem arguitur quod subiectum huius propositionis 'omnis homo est per se risibilis' supponit pro aliquo primo, concedatur; non tamen supponit primo pro homine particulari neque pro homine universalis, sed supponit absolute pro homine in communi, non determinando se ad hunc vel ad illum.

Et si ex hoc arguitur quod est dare hominem qui non est homo particularis nec communis, negatur consequentia. Licet enim in propositione assumpta non supponat subiectum pro aliquo homine particulari primo, tamen non supponit nisi pro homine particulari, ex quo personaliter supponit. Dicendo autem 'homini competit esse risibile per se primo', iam non supponit subiectum personaliter, sed simpliciter; ita quod nulli homini competit esse risibile per se primo, sed solum homini secundum quod huiusmodi.

Ad secundum dicitur quod superabundantia potest in multis inveniri, dummodo superlativus exponatur comparative et non positive. Nam decem sunt generalissima, non quidem quod nullum sit ita generale sicut aliud, sed quia nullum est altero generalius. Ita accidens primo competit individuis multis quia non prius uni quam alteri, quantum est ex se; per accidens autem posset prius uni quam alteri competere. Concedo tamen quod accidens primo competit individuis tenendo comparative ly 'primo', ita quod prius competit individuis quam speciebus et generibus. Et ad hunc intellectum conceditur quod album competit primo Sorti, quia prius competit Sorti quam homini aut animali. Tamen ista consequentia non valet 'album competit primo Sorti, ergo Sorte non existente nullus homo esset albus', quia ly 'primo' non importat hic primitatem adaequationis et causalitatis simul—sicut ly 'primum' definitum a Philosopho, I Posteriorum,²⁰ ut quando dicitur quod risibile competit homini primo, et habere tres angulos aequales duobus rectis competit triangulo primo, —sed importat hic primitatem causa

litatis, quoniam homo est albus ex eo quia Sortes est albus. Et si quaeritur in quo genere causae Sortes albus est causa propter quam homo est albus, dicitur quod in genere causae materialis, eo quod Sortes, cum sit pars subiectiva hominis, habet rationem materiae respectu illius.

Deinde conceditur quod album competit Sorti per se, non quod ista propositio sit per se 'Sortes est albus', sed quia Sortes per se est albus perseitate tertii modi. Eo modo quo dicit Philosophus, VIII Physicorum,²¹ quod eorum quae moventur quaedam moventur per se et quaedam per accidens; illa moventur per se quae non moventur ad motum alterius non communicantis cum illo, sicut Sortes et Plato. Quia ergo Sortes denominatur albus et non ratione alterius, ideo Sortes per se est albus. Homo autem et animal et alia communia sunt alba per accidens etc.